



**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Sectio Septima.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

## SECTIO SEPTIMA.

## ECCLESIASTES.

VERS. II. Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non finit eum dormire.

## METRICA PARAPHRASIS.

QVID vago terras domibus negatas  
 Mortales obeunt pede?  
 Aut per horrentes animi quietem  
 Rimantur tenebris specus?  
 Non latet furuis Pernæ cauernis  
 Auro immersa beatitas.  
 Non procellose fugiente pennâ  
 Calpes littora transuolat:  
 Non Hydaspes legitur fluentis,  
 Non Tartesiæ vadis:  
 Non colit circum laqueata curis  
 Auro illusa palatia:  
 Non maris cœnat vomitum, manuque  
 Structas artifici dapes.  
 Viuitur paruo melius, sub arcto  
 Pressi culmine cespitis.  
 Dulcius limen tuguri salutis  
 Permulcens animum quies.  
 Non enim Plutus miseros tumultus  
 Celsis submouet atris:  
 Nec dapes crudas Bromiæve curas  
 Dulci nectare condiunt:

P p

Nec



Nec fides mæstos citharæ loquacis  
 Dites carmine sopiunt.  
 O ! quis exploret locupletis imo  
 Motus pectore concitos ?  
 Mitius raucos Maleæ recurrens  
 Æstus vnda reciprocatur.  
 Exstruat pictos Phrygio paratus  
 Et plumâ volucris toros ;  
 Diues in plumâ vigil increpabit  
 Stratum cespitem durius.  
 Adde suggestus operosiores  
 Gemmarum pretio graues :  
 Cura fortunæ spolio superbis  
 Stratis peruigil incubat.  
 Quid miser luxu licitare somnum,  
 Quem gratis tribuit Deus ?  
 Rore lethæo melius coloni  
 Spargit tempora pauperis,  
 Quem refert tectis opere expeditum  
 Deuexa in senium dies.  
 Lecta non illi stomachum Lucrino  
 Tendunt ostrea gurgite :  
 Sed nec insulso vomitu saburræ  
 Ventris nausea conciet.  
 Non bibit gemmâ laticem Lyxum :  
 Sed nec toxica combibit.  
 Fessus agresti sua membra strato, aut  
 Ripis explicat herbidis,  
 Qua levis densis platani comantis  
 Euris frondibus obstrepat,  
 Aut per obliquas Achelous vndas  
 Dulci murmure sibilat.



*Sive latranti stomacho soporem*

*Crudo in cespite prouocet;*

*Somnus ex succos liquido rigabit*

*Lethes flumine musculos.*

*Sive egestatis pauidas opima*

*Curas obruerit dape;*

*Sic magis firmo religata nexu*

*Morpheus tempora vinciet.*

*Si quies mentis facilisque somni*

*Vitant atria diuitum;*

*Cur catenatos animi labores*

*Merce mille laboribus?*

# PROSA EXEGESIS.

**I**TA profectò se res habet. Non animi quietem ac tranquillitatem adferunt diuitiæ, sed cruciatum ac dolorem: neque labores tollunt, sed duplicant: cum non minoris curæ sit ac sollicitudinis, quæ iam parta sunt tueri, quàm in nouas semper lucrû occasione excubare. Amplius dico cum D. Prospero: Qui diuitias habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine curâ non seruant, sine anxîa delectatione non possident, sine dolore non perdunt. O præclara igitur opum mortalium beatitudo, inquit Boëtius, quàm cum adeptus fueris, securus esse desisti! Nam siue in turbâ forensi, vrbiumque frequentîâ versetur auarus; cupientium ac rapientium turba circa lutulentam prædam lites concitat: siue ab hominum consuetudine seductus, ruris alicuius suburbani, silvarumque solitudinem confectetur; secum ipse, & cum seditiosis auaritiæ cogitationibus luctatur. Neque potest ibi esse sola solitudo, vbi spes ac timor, auaritia &

*Diuitia  
quietem  
auferunt  
animi,  
tranquilli-  
tatem.*

*Prosper l. 2.  
de Vita cō-  
templat.  
c. 13.*

*Boët. lib. 2.  
de Consol.  
phil. prof. 5.*



luxuria, ceteraque inter se cupiditates tumultuantur. Nam quid prodest totius regionis silentium, ait Seneca, si affectus fremunt?

Seneca E.  
pist. 56.

*Omnia noctis erant placida compôsta quiete,*  
ait Varro. Sed falsum est; nulla placida quies est, nisi quam ratio composuit. Nox exhibet molestiam, non tollit, & sollicitudines mutat. Nam dormientium quoque insomnia tam turbulenta sunt, quam dies. Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. Adspice illum, cui somnus laxæ domus silentio quæritur, cuius aures ne quis agitet sonus, omnis seruatorum turba conticuit, & suspensum accedentium propius vestigium ponitur. Huc nempe versatur atque illuc, somnum inter ægritudines leuem captans: quæ non audit, audisse se queritur; & qui interdum hominum perfidiam, noctu umbras habet suspectas. Quid putas esse causæ? Hanc verissimam reddit Ecclesiastes: *Saturitas diuitis non finit eum dormire.*

Quæ verba duplicem habent sensum: alterum planum ac simplicem, ut significet, diuitem comestationibus ac voluptatibus deditum, propter crapulam stomachique cruditates, difficiles pati somnos, ac turbulenta insomnia; alterum metaphoricum, quem nunc preminimus, ut saturitas diuitis idem sit quod diuitiarum abundantia. Et fauet huic sensui lectio lxx. Interpretum, quæ sic habet: Qui saturatus est ditescendo, non est dimittens eum dormire. Quomodo enim, inquit Ambrosius, potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam? qui damna formidat? qui lucra cogitat? qui vsuras computat? qui hypothecas numerat. Et cap. 6. de Nabuthe, Naturæ, inquit, ipsius nescit munia, nec somni nouit vices: excitat eum cupiditas, exagitat

Vide Pinedam hic.  
Diuitum  
cura somnos turbat.  
Ambrosius  
in Psal. i.



agitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora vexat, sterilitas prouentuum infecunda perturbat, sollicitat abundantia. Anacreon quinque talentis à Polycrate tyranno donatus, cum insolito motu curisque grauioribus inde torqueretur, nec iam ullam quietis partem capere posset, subsultim inter dormiendum idemtidem expergefactus, nec solum de pecuniâ, sed etiam de vitâ vel à domesticis eripiendâ sollicitus; cœpit de pristinâ animi tranquillitate recuperandâ cogitare. Itaque argentum omne, postquam binas cum eo noctes insomnes duxisset, Polycrati restituit: addiditque, plus ab eo sibi negotij tantillo tempore conflatum, quàm ab eodem in omni vitâ solatij sperare posset. Idem sensus fuit Sigismundo Cæsari, qui acceptis ex Hungariâ quadraginta millibus nummum aureorum, cum noctem duceret insomnem, cogitans in quos usus pecuniam illam expenderet, mox euocatis primariis Aulæ suæ Principibus, En, inquit, hostes illos & carnifices (nummos ostendens) qui variis tormentis omnem mihi somnum eripuerunt: vos eos arripite, & inter vos diuidite, vt mihi tranquillè dormire liceat. En quàm appositè dictum, *Saturitas diuitis non finit eum dormire.*

Stobæus  
Serm. 91.

Aen. Sylu.  
li. 4. Com-  
ment. in  
Alphonf.

Alter horum verborum sensus est, Diuites illos, qui se voluptati tradiderunt, stomachumque semper crudum deliciis infarciunt, ac vino ingurgitant, tantum abesse vt hoc diuitiarum fructu gaudeant, vt potius velut in torturâ noctes ducant insomnes: & si quis interdum somnus obrepserit, nunc in rupium cacumen attolli videantur, nunc in præcipitium demergi, nunc cerebri vertigine sic in gyrum agi, quemadmodum Ixionem circumuolui fabulæ prodiderunt.

Diuitum  
plenus ven-  
ter somnum  
excludit.



*Pauperum  
somnia fa-  
cilia.*

Felix igitur paupertas, quæ clientes suos diurnis exercet laboribus, ut velut benigna mater lassos nocturnâ quiete restauret. Nihil opus illi plumis, nullâ culcitram velut natiuo somni gymnasio: in crudo cespice cubile sternit vel ipso somno mollius: non torum requirit ad ambitionem compositum, purpureis aureisque vestibus instratum, lectisque argenteis aut eburneis sub aureis palatiorum laquearibus impositum: nouit hominem tam benè culmo quàm auro regi; neque tam fastuosum esse somnum, ut ad rusticorum mapalia se demittere recuset.

*Horat. l. 3.  
Oda 1.*

— *Somnus agrestium*

*Lenis virorum non humiles domos*

*Fastidit, umbrosamque ripam,*

*Non zephyris agitata Tempe.*

Itaque diurnis operibus exercitati vernulæ quouis loco aptissimam somno culcitram inueniunt.

*Labor som-  
num concil-  
iat.  
Chryso-  
stom. 2 ad  
pop. An-  
tiochen.*

Sed plus etiam innuunt Sapientis nostri verba, *Dulcis est somnus operanti, siue parum siue multum comedat.* In quibus præclare notat D. Chrysostomus, tantam esse ad somnum captandum moderari laboris præstantiam, ut ei neque inedia neque crapula præualere possit. Duo sunt, inquit, quæ somnum impedire solent, inedia seu vacuitas, & crapula. Illa quidem corpus exsiccat, palpebrasque reddit corneas, neque conuiuere permittit: hæc verò pectus opprimit, & anhelitum elidit, pluraque secum trahit incommoda. Sed tam præsens laboris est medicina, ut etiam si alterutrum adfuerit, somnum facile conciliet.

*Voluptates  
pauperum  
faciles pa-  
ratu, ma-  
gisq; sin-  
cera.*

Porro idem Chrysostomus, dum hanc Ecclesiastæ sententiam pertractat, enucleatiùs præclara ex eadem elicit vitæ documenta. Primum, hoc illustri Dei pro-  
uident-



uidentia factum, ut non tam auro rebusque exquisiti pretij, quam labore ac patientia venales sint honestæ voluptates quæ ex cibo fomnoque percipiuntur. Deinde, magis defecatas esse pauperum quam diuitum voluptates. Denique, firmam pauperum valetudinem, diuitum luxu multo esse præstabiliorem. Et quid aliud omni æuo decantarunt, qui rectissime inter Ethnicos philosophati sunt? Asserit insuper Chrysostomus, voluptatem in conuiujs non ferculorum naturâ, sed conuiuantium dispositione fieri, id est necessitate & fame. Et in siti quantum saporis Propheta Regius aquæ frigida fuisse testatur, dum ait: *De petra, melle saturauit eos?* Psal. 80, 17. Contrà verò insipidam comesantium nauseam satis exprimit illa parœmia, *Anima saturata calcabit fauum.* Prou. 27, 7. Quid verò Seneca? nonne eodem planè modo philosophatur? Corporis, inquit, exigua sunt desideria, alimentis famem ac sitim cupit extinguere. Quidquid extrâ concupiscitur, vitijs non vsibus laboratur. Non est necesse omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia vltimi maris ab ignoto littore eruere. Dij illos deæque perdant, quorum luxuria tam inuidiosi imperij (Romani scilicet) fines transcendit. Ultra Phasim capi volunt, quod ambitiosam popinam instruat: nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetimus, aues petere. Vomunt ut edant, edunt ut vomant: & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Deinde, paucis interiectis, ostendens solidiores esse pauperum voluptates, Quotò, inquit, feliciores fuerunt maiores nostri, quorum virtus etiamnum vitia nostra sustentat, qui sibi manu suâ parabant cibum, quibus terra cubile erat? Quotò beatiùs vivebat Dictator ille, qui Samni-

Sen. Consol. ad Helu. c. 9.



Samnitium Legatos audiuit, cum vilissimum cibum in foco ipse manu suâ verfaret, illâ quâ lauream in Capitolini Iouis gremio reposuerat?

Puriore verò ac sinceriores pauperibus quàm diuitibus esse voluptates, vel inde colligitur, quòd ij, quibus indies conquisitis per maria terrasque deliciis tam ambitiosè mensa instruitur, si quando mentem à curis seductam liberaliùs oblectant, ad agros suburbanos, ad figulina fercula, ad rusticas delicias, domique natas, se transferunt.

Horat. l. 3.  
Od. 19.

*Plerumque grata diuitibus vices,  
Mundæque paruo sub lare pauperum  
Cæna, sine auleis & ostro  
Sollicitam explicuere frontem.*

Sen. Consolation. ad  
Helu. c. 12.

Et quàm multa sunt tempora, quibus locupletes pauperibus similes fiunt, non tantum necessitate, sed etiam voluptate? Sumunt quosdam dies, cum iam illos diuitiarum tedium cœpit, quibus humi cœnent, & remoto auro argentoque, fictilibus vtantur. Dementes! hoc quod aliquando concupiscunt, semper timent. O quanta illos caligo mentium, quanta ignorantia veritatis exercet, qui fugiunt quod voluptatis causâ imitantur! At ego te Lucili, inquit Seneca, non ad modicas cœnas duco, non ad pauperum cellas, & quidquid aliud est, per quod luxuria diuitiarum tadio ludit. Grabatus ille verus sit, & panis durus ac fordidus. Hoc triduo & quadriduo fer: interdum pluribus diebus: vt non lusus sit, sed experimentum. Tunc, mihi crede, exultabis dupondio satur, & intelliges, ad saturitatem non opus esse fortunâ. Certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus malignè famem exstingeret. Et in hoc tu victu saturitatem non putas esse?

Idem Epistolâ 18.



esse? etiam voluptas est. Voluptas autem non illa levis & fugax, & subinde reficienda, sed stabilis & certa. Non enim iucunda res est aqua & polenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est, posse capere etiam ex his voluptatem, & ad id se reduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. Sed ad avaritiæ miseras, à quibus tantisper digressi sumus, reuertamur.

## SECTIO OCTAVA.

## ECCLESIASTES.

VERS. 12. Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.

13. <sup>a</sup> Pereunt enim <sup>b</sup> in afflictione pessimâ: generauit filium, qui in summâ egestate erit.

<sup>a</sup> lxx. habent: Et peribunt  
<sup>b</sup> Alij, in negotio malo, vel negotiatione malâ

14. Sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo.

15. Miserabilis prorsus infirmitas: quo modo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit in ventum?

16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumnâ atque tristitiâ.

## METRICA PARAPHRASIS.

QVIS tutus catulos læ,  
Quis partus foueat vipereos sinu,  
Quando & quæ peperit perit?  
Ecquis tantum animis imperitat furor,

Q

Vt